



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XXX. De verbis Apost. Si quis ædificaverit super fundam, &c. al. de ligno,
fœno, & stipula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

deus affirmare quod prius se dixisse temerè confundebatur : & fortasse pro-
pterea contristatus est. *Dixerat enim prius : Etsi omnes scandalizati fuerint
in te, sed non ego.*

r Matt. 14. c

S E R M O XXX.

De verbis Apost. *Si quis edificaverit super fundam, hoc lignum, fœnum,
stipulam, &c. ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

1. Cor. 3. c. *

* al. De li-
gno, fœno
& stipula.
Nusquam se-
curitas.

Tria hominũ
genera: fragi-
les, molles
leves.
a 1. Cor. 3. c

Comparantur
ligno, fœno,
stipula.

Quid illis ad
salutem fa-
cto opus.

Nusquam est securitas, Fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, mul-
tò minus in mundo. *In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia di-
vinitatis: Adam in paradiso de loco voluptatis: Iudas in mundo de schola
Salvatoris. Hæc idcirco dixerim ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia
dicitur, locus iste sanctus est: quia non locus homines, sed homines locum
sanctificant. Sunt enim etiam inter nos tria genera hominum, ipsaque satis
incongrua & ordini, & homini qui hanc viam ingressus est. Sunt enim qui
bene inceperunt, sed statim defecerunt. Et sunt qui nunquam inceperunt,
sed in sua mollitie permanerunt & permanent. Et sunt qui rapiuntur spi-
ritu levitatis, tardi ad audiendum, veloces ad loquendum, paratissimi
cursum enumerare quod faciunt, si quid faciunt tamen. Nunquid vel istos
repellet Deus? Non, si in fundamento permanerint, sed salvi erunt, sic ta-
men quasi per ignem. Per quem ignem? Dicit Apostolus: *Fundamen-
tum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si
quis edificaverit super fundamentum hoc lignum, fœnum, stipulam, detrimen-
tum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Fundamentum
Christus est, lignum fragile est, fœnum molle, stipula levis. *Lignum* sunt,
qui fortiter inceperunt, sed fracti non renodantur. *Fœnum* sunt, qui fu-
gienda mollitie tepefacti, nec summitate digiti (ut dicitur) labores ar-
duos attingere volunt. *Stipula* sunt, qui levitatis motibus exsufflari, nun-
quam in eodem statu permanent.*

Et timendum quidem est de istis, sed non desperandum: quia si in
fundamento Christum habuerint, hoc est in hac via vitam finierint, salvi
erunt, sic tamen quasi per ignem. Ignis tria habet, fumum, lucem, ardorem.
Sumus excitat lachrymas, lux illuminat, ardor adurit. Ita & qui ejusmodi
est, *fumum*, hoc est amaritudinem in mente habere debet, quia tepidus
est, quia remissus est, quia levis, quia ordinem quantum in se est subruit &
perturbat. Sed & *lucem* in ore, ut qualis est in mente, talem se in confessione
& dicat & plangat, ut & linguam acuat conscientia, & conscientiam arguat
lingua. Necessè est quoque ut *ardorem* sentiat in corpore, id est, poeniten-
tiæ tribulationem, etsi non multimodam, aliquam tamen. Putas quia
sic compunctos corde, ore confessos, corpore fatigatos abiiciet, qui
omnes

omnes homines vult salvos fieri, & neminem vult perire? Sunt & alii qui ædificant super fundamentum hoc, aurum, argentum, & lapides preciosos, qui vehementer incipiunt, vehementius proficiunt, vehementissimè perficiunt, non attendentes quid caro possit, sed quid spiritus velit.

S E R M O XXXI.

De sollicita cura cogitationum.

Admonet nos beatus Benedictus (Fratres) sollicitos esse circa cogitationes nostras †, Sapientis utique consilium sequens, qui *omni custodia cor custodire* suadet ^a, quoniam ex ipso vita procedit. Tria igitur occurrunt genera cogitationum, à quibus multa sollicitudine cavere necesse sit eos qui convertuntur ad cor, & dignum Deo in semetipsis templum exhibere festinant. Sunt enim nonnullæ interdum cogitationes penitus ociosæ, & ad rem non pertinentes; quas tam faciliè abjicere quam recipere faciliè possit anima, dummodo sic secum habitans in corde suo, & adstans dominatori universæ terræ.

Sunt & aliæ cogitationes violentæ magis & fortius adhærentes, quæ videlicet ad necessitates naturæ pertinent, & quasi ex eodem adsumptæ limo, de quo & nos facti sumus, si paululum infederint, avelli nequeunt sine læsione & difficultate. Sæpe enim sic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu sive vestimento, ut vix eradicari queat de cordibus nostris: quod non aliud est, nisi quòd & ipsa limosa & viscosa quodammodo, limosam nihilominus & glutinosam invenerit terram. Non sine causa enim dictum est, hominem plasmatum non de terra qualibet, sed de limo ^b. Vide enim quam limosum sit corpus, quod ipsi quoque spiritui tam fortiter & penè indissolubiliter inhæret, ut vix cum multa afflictione possit aliquando separari. Quid ergo agendum cum limosa illa cogitatio mentem subierit? Planè exclamandum nobis est cum sancto Jacob ^c atque dicendum: *Ruben primogenitus meus non crescas; ascendisti enim cubile patris tui*. Ruben enim & carnalis atque sanguinea hujusmodi concupiscentia est: quæ tunc cubile nostrum ascendit, cum non solum memoriam tangit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratum ingreditur & polluit prava delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ in nobis pullulat, cum cætera vitæ processu temporis ex malitia mundi hujus variisque occasionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non possumus appetitum: ut quam cito cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, quemadmodum dicit Scriptura ^d: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*.

† Reg. cap. 7.
a Prov. 4. d

Tria cogitationum genera cavenda.

1. Ociose.
2. Limose i. e. corporis necessaria cõcernentes.

b Gen. 2. a

c Gen. 49. a*
Quomodo cogitationibus de cura corporis obviandum.

d Gen. 4. a

